

Ms. K. 412, 37.

10.

X 186 2342

II h  
624

# ENARRATIO JUDAISMI HO- DIERNI,

Et fabularum quarundam Judaicarum de  
creatione primi hominis  
*premissa*

## ACTUI PROGymNASTICO,

*2<sup>vo</sup>*

Creatio mundi & status protoplastorum plerisque  
omnibus progymnasmatibus exponetur


IN SCHOLA ANNÆBERGENSI

*a. d. IX. Kal. Febr.*

Anno M. DC. LXXII.

*moderante*

M. JOHANNÉ CRAUSIO, RECT.



ANNÆBERGÆ,

Typis DAVIDIS NICOLAI.







Extus nunc mensis vertitur, quando de quatuor religionibus, quæ hodie in mundo sunt, præfatione quædam dicere occæpi. Et historia quidem Christianismi, Muhammedismi & Paganismi tum exhibita est, propositaque cujuslibet 1. principium dogmaticum. 2. dogmata, mores & ritus. 3. dissensus. In præsentem Judæismum eumque hodiernum & corruptum, qui ab antiquo illo, cui Patriarchæ, Heroes, Prophetæ & Reges pii Veteris Testamenti se addixerant, planè descivit, eadem methodo describere, & simul figmenta quædam Judaica perstringere animus est.

§. 2. Hic igitur Judæismus nomen habet à Juda patriarcha Jacobi filio, cujus sola tribus primùm Judæorum nomine venit, postea isthæc appellatio ad reliquas etiam tribus extensa est. Indoles hodie hæc est.

I. Principium ejus vulgò jactatur תורה בכתב *lex scripta* seu Scriptura Veteris Testamenti. Verùm huic Rabbanitæ omnes addunt תורה שבעל פה *legem oralem* seu Talmudem prolixum, huncque Scripturæ multis modis præferunt. Vid. Buxtorfii Recensio Operis Talmudici, subjecta ejusdem libro de Abbreviaturis Hebraicis. Ejus sex partes sunt, juxta versum:

*Semina, festa, uxor, nocumentum, victima munda.*

II. Dogmata & præcepta hæc sunt: Esse DEUM unum, unicamque tantum personam, qui hoc universum, angelos & homines condiderit, hodieque conservet, mundumque per Angelos potissimum gubernet. De homine credunt, nasci ipsum probum & expertem labis hereditariæ: & pro actualibus peccatis satis facere posse pœnitentiâ & bonis operibus, quibus apud DEUM misericordem justificatio & salus impetranda sit. Messiam verò geminum, pauperem alterum ex tribu Josephi, alterum divitem ex tribu Judæ, operiuntur etiamnum, non ut ex-

piato-



piatorem peccatorum, sed ut postliminio ipsos reducat in Palaestinam. In vita porro DEUM colunt circumcissione, qua octavo à nativitate die initiantur; precibus, jejuniis, abstinentia à certis cibis, lotionibus: *Φιλανθρωπία* vero extra fidei consortes vix egreditur. Ceremoniarum suarum oppido tenaces sunt; Habent igitur suos Archisynagogos, Doctores, Rabbinos sæpe rudissimos & pessimos: Synagogis imagines excludunt: Festa, præcipuè Paschatis, septimanarum & tabernaculorum, item expiationis, magnâ solemnitate celebrant. Idem faciunt in circumcissione, nuptiis, exsequiis, precibus, quas identidem Tephilin & zizis sive phylacteriis & palliolo fimbriato induti recitant. De novissimis denique non satis sibi constant. Recutitorum animas non mori, eosque pios juxta & impios in die decretorio resurrecturos, & vel cælum vel infernum ingressuros esse vulgo docent. Sed quid de immortalitate & resurrectione eorum, qui à fide Judaica alieni sunt, habendum sit, incerti prope sunt. Vid. Buxt. Syn. Jud. c. 3. Huc itaque XIII. articuli fidei Judaicæ, à Maimonide collecti, facile revocabuntur.

III. *Dissensus* ipsorum evidens & acerbus est. Nil referam nunc de Samaritanis s. Cuthæis, quippe tantum Semijudæis & *ἀλλοπροσάλλοις*, odioque inter hos & Judæos plane internecino, orto partim ex impedita quondam structura templi Hierosolymitani, partim ex exstructione novi templi in monte Garizim, partim ex inconstantia in religione: Cui non notæ sunt sectæ Pharisæorum, Sadducæorum, Essæorum? de quibus acriter inter se olim decertarunt, hinc Nicol. Serarius Jesuita Moguntinus in Trihæresio & Minervali; & inde Jos. Scaliger in elencho Trihæresii, & Joh. Drusius in peculiari libro contra Serarium. Nec ignorant historiæ Judaicæ periti diffidia Hillelitarum & Schamaitarum circa tempora Christi; Gallorum & Hispanorum de Doctore perplexorum R. Maimonidis. Ceteroquin hodie ad huc obtinet numerosissima secta Rabbanitarum s. Talmudistarum,

):( 2

qvi



qui traditiones Talmudis & Rabbinorum sequuntur; & altera non æquè numerosa Karaitarum s. Scripturariorum, qui in solius Scripturæ verba jurant. Vid. D. Joh. Mullerus in Judaismo: Christianus Gerson ex Judaismo ad Christianismum conversus in Talmude. Anton. Hulsius in Theologia Judaica. Joh. Buxtorfius in Synagoga Jud. Mich. Havemannus in der Jüdischen Wegleuchte. Petrus Galatinus in arcanis cath. verit. Aug. Pfeifferus in fascic. dissert. diff. 1. 2. 3.

§. 3. Inter alia verò, quibus reprehensionem merentur Judæi, eminet ineptus ille fabularum amor, quas simplicioribus pro vero obtrudunt. Non equidem omnia, quæ imperitis fabulosa videntur, protinus sunt talia (*Prisca enim gens Judaica, pro more omnium Orientalium arcana mysteria per figuras & ænigmata, per jucundas & ingeniosas, lepidas & graves enarrationes, figmento & fabulis sæpe similes, explicabant, ut illis rudiores ac simpliciore plebeculam ad lectionem suaviter allicerent, & istis quasi illecebris artificiosè caperent; ingeniosum autem lectorem ad scrutanda & explicanda profunda mysteria, sub specioso cortice latentia, exercerent: Hæc apud imperitos, tam Judæos recentiores, quàm Christianos, antiquorum Theologizandi & philosophandi modum ignorantes in ludibria & blasphemias convertuntur; verba sunt Buxtorfii in præfatione Lexici Talmudici.*) In confesso tamen est, apud ipsum Buxtorfium, multa à recutitis probari, quæ planè fatua, absurda & fabulosa sunt. Sistam hoc loco duo tantum ejus rei exempla, sic satis illustria, quibus historiam primorum hominum contaminarunt.

§. 4. Comminiscuntur igitur, Adamo è terra condito primum junctam fuisse matrimonio ליליאם Lilisam, seu, ut Jonstonus in polyhistore p. 3. scribit, Lilidem, quæ eundem ortus sui modum, è terra scilicet, fortita sit: Ipsam verò imperium viri, quippe quem natalium dignitate æquabat, detrectantem, ab ipso tandem aufugisse, factamque esse lamiam sive dæmonissam nocturnam.



æternam puerperis infestam, (quam proinde hodiernum illæ  
 circulo cubiculi parietibus inscripto & angelorum certorum, qui  
 medicinæ & curationi hominum præfecti sunt, nominibus si-  
 gnato, abigere solent.) In hujus locum postea surrogatam esse  
 à DEO Evam, eamque non è terra, sed ex Adami costa produ-  
 ctam esse ideò, ne ipsi de primatu litem pariter moveret. Vid.  
*Buxtorfius* Synag. Jud. cap. IV. pag. 81. itemque in Lexico Tal-  
 mud. pag. 1140. ubi ex antiquo libro Bensiræ fusè hoc enarrat.  
*Job. Seldenus* Syntagm. II. de Diis Syris cap. 2. pag. 250. cum ad-  
 ditamentis Viri CL. & Amici mei honoratissimi M. *Andr. Beyeri*  
 CR. Freib. pag. 283. & plur. venerandus Dn. socer meus *Johann.*  
*Frischmuthius* in disput. de melechet cœli, ann. 1663. edita.

§. 5. Ejusdem furfuris est commentum illud Talmudi-  
 cum, à Mose Maimonide, Sal. Jarchi, AbenEsra, Elia Levita in  
 Tisbi, aliisque Ebræorum magistris repetitum, de primo homi-  
 ne androgyno, seu duplici & bifronte, ac si is initio creatus fuerit  
 mas & femina, duabus personis, & vultibus, quem DEUS postea  
 separaverit, & ex altera parte Evam condiderit. Verba Talmudis  
 Tract. Berachot. f. 61. sunt: *דו פרצופין ברא הקבה בארם הראשון*  
*duas facies creavit DEUS in Adamo primo.* Quò trahitur in sul-  
 locus Ps. 139, 5. retro & ante formasti me. Dissimulari tamen ne-  
 quit, exstare easdem nenas jamtum apud Platonem lib. XXV.  
 qui convivium seu de amore inscribitur, & quidem in laudatio-  
 ne amoris ab Aristophane proposita pag. 424. Et nostri etiam  
 ævi scriptores quidam, cetera non ineruditi, pro hac Helena  
 decertârunt: quandoquidem Radulphus Cudvordus Anglus  
 anno 1642. Londini integrum tractatum pro androgyno Mosis  
 edidit: & anno 1665. d. 28. Mart. *ὁ δεινα* in specimine versionis  
 ad literam Geneseos, Upsalia edito, quadraginta argumentis  
 hanc sententiam confirmare conatus est. Conferatur B. Paulus  
*Slevogtius* profocer meus post fata quoque venerandus in  
 ):( 3 disp.



disp. Academicis disp. de creatione primi hominis: & *Buxtorfius* in Lexico Talmud. voce 17 pag. 506.

§. 6. Ceterum de his aliisque, quæ circa historiam creationis & primorum hominum memorabilia occurrunt, die crastini, DEO volente, verba facturi sunt XII. discipulorum nostrorum, totidem progymnasmatibus viriculas suas periclitaturi, idque secundum seriem ab Aptonio monstratam, & quidem.

- I. *DANIEL Grabner* / *Jöstadiensis Misn. Scholæ Alumnus*, exortatâ prius pro se ceterisque progymnastis auditorum benevolentiam, modò allegatas fabulas Judaicas de conjugio Adami & Lilise, itemque de primo homine androgyno recensabit, & succinctè confutabit.
- II. *CHRISTIANUS Langenberger* / *Schmidebergâ Bohemus* historiam creationis secundum sex dierum seriem ex Scriptura ordine exponet.
- III. *JOH. GEORG Grabner* / *Jöstad. Misn. Schol. Alumnus*, occasione desumptâ ab Adamo divinæ legis transgressore, sententiam 1. Sam. XV. 23. inobedientia est idololatria, juxta christi leges expositam exhibebit.
- IV. *ISRAEL Büß* / *Zwönicensis Misn.* creationem mundi contra Æternales aliosque divinæ veritatis hostes confirmabit.
- V. *FRIDERICUS Runk* / *Scheibenbergâ Misn. Schol. Alumnus* confutabit Isaacum Peirerium, Gallum, Reformatorum religioni alias addictum, Prometheus illum Præadamitarum, quos (abusus imprimis cap. V. 13. epistolæ ad Romanos, & fretus falsissimis Gentilium quorundam epochis) superioribus annis infausto sidere consinxit, & ab Adamo solorum Judæorum originem deduxit: Secutus hætenus Jordanum Brunum, Nolâ-Neapolitanum, ordinis Dominicani, qui cum idem doceret, exustus est Romæ anno 1600. d. 9. Febr. Sed Peirerius tandem Romæ in castra Pontificiorum transiit, quòd hi alioqui  
com-



*commentum ejus evidenter refutare constituerent*

i - - tæda, nî fallor, in illa

*Quâ stantes ardent, qvi fixo gutture fumant.*

*Vid. B. D. Hier. Kronmayerus in append. hist. Eccl. Historia  
Eccl. Gothana in fine, Ursinus in Exercit. de Zoroastre, pag. 4.  
qvig, ex instituto Peirerium refutârunt.*

- VI. *MICHAEL Schreiner / Annæberg. Schol. Alumnus, ansam  
captans ex Adami, qvi D E O similis esse cupiebat, typho, super-  
bia vitium per locum communem exaggerabit.*
- VII. *CHRISTOPHORUS Meyer / Ebreufr. Misn. Schol. Alumnus  
Abelum protomartyrem nefarie à fratre interfectum sive  
Damasci (uti volunt, qvi hoc nomen per sanguinis saccum  
exponunt) sive alibi, meritis laudibus mactabit.*
- VIII. *DAVID Kronberg / Annæberg. Cainum ob fratris cædem tre-  
more corporis, ut fertur, à DEO insignitum, & vel à Lamecho  
pro fera interemtum; vel, ut sentit Georg. Cedrenus apud  
Dress. Isag. hist. part. 1. pag. 40. ædium ruina anno mundi 931.  
oppressum, vituperabit.*
- IX. *JOH. FRIDER. POETIUS, Mildenav. Misn. statum Paradisia-  
cum sive integritatis cum eo, qvi extra Paradisum transigitur,  
sive corruptionis & miseria, tanquam δὲ δια πασῶν discrepan-  
tes, comparabit.*
- X. *CHRISTIAN Gotthilff Günther / Buchholz. Misn. Schol. A-  
lumnus per ethopæiam Adamum è paradiso ejectum, & vi-  
cem suam qverulâ voce deplorantem, introducet.*
- XI. *GOTTFRIED Eckstein / Annæberg. hortum paradisiacum per  
ecphrasin describet, fabulasq, Judaicas & Pontificias de eo ho-  
dientum superstite explodet.*
- XII. *deniq, CHRISTORUS ERNESTUS WOLFIUS, Annæbergens.  
occasione præcepti paradisiaci de non comedendo arboris veti-  
tæ fructu, per thesin, obedientiam præceptis divinis præstan-  
dam esse svadebit, gratiasq, toti auditorio, epilogi vicem, aget.*

Vos



QXTH 624  
Vos igitur, spectatissimi Dnn. Scholarchæ, Patroni, & quot-  
quot Musas favore vestro complectimini, iisque addicti estis,  
auscultate quæso progymnastas nostros, eorumq; actum præsen-  
tiâ Vestrâ spectabili cohonestate. Dabunt illi operam, ut varie-  
tate argumenti se Vobis quodantenus probent, nec patientiâ ve-  
strâ intempestivè abutantur. P.P. a. d. X. Kal. Febr. Anno 1672.

*Addenda ad §. 4.*

Circuli, quem Judæi superstiosè cretâ passim cubiculi  
parietibus & januæ inscribunt, ratio hæc est: Intra eum occur-  
rit nomen Schaddai seu DEI omnipotentis, & trium angelorum  
averruncorum, Senoi, Sansenoi & Sammangeloph. Extra eum  
dextrorsum ponitur nomen Adami, sinistrorsum nomen Evæ,  
quibus recensnatus puer vel puella similes fieri debent: Supra  
& infra additur לילית אפא Lilith.

*Ad §. 5.*

Verba Platonis de androgyno hæc sunt: Non erat antiqva  
hominum natura, qualis nunc est, sed longè diversa, androgy-  
num enim tunc erat & specie & nomine, ex maris & foeminæ  
sexu conjunctum. Erat ergo totus hominis aspectus rotundus,  
dorsum & latera utrinque habens, manus quatuor, totidemque  
crura, facies item duas tereti cervice connexas. *Et paulo post.* Ju-  
piter consilium cepit, quemque *inquit* in duas partes dissecabo.  
Hæc fatus, bifariam partitus est singulos, instar eorum qui ova  
dividunt, quæ in muria servare volunt. Hinc nimirum ex illo  
tempore mutuus hominibus innatus est amor, priscae naturæ  
conciliator, annitens unum ex duobus efficere, hominumque  
naturæ mederi. Est igitur quisque nostrum primi hominis latus  
& quasi dimidium, velut dissectus, ut illi pisciculi,  
qui psettæ vocantur, scissi ex uno  
efficiuntur duo.

F I N I S.

1077





mores & ritus. 3  
 hodiernum & co  
 Heroes, Prophet  
 planè descivit, eã  
 quædam Judaica

§. 2. Hic ig  
 Jacobi filio, cuju  
 postea isthæc app  
 doles hodie hæc

I. Principi  
 seu Scriptura Vet  
 mnes addunt  
 prolixum, huncq  
 Buxtorfii Recens  
 Abbreviaturis He

*Semina, j*  
 II. Dogma  
 unicamqve tantu  
 homines condide  
 gelos potissimùm  
 probum & expert  
 tis satis facere pos  
 DEUM misericor  
 siam verò gemin  
 rum divitem ex tr

quando de  
 mundo sunt,  
 Et historia  
 edismi & Pa  
 tque cujusli  
 2. dogmata,  
 m eumque  
 Patriarchæ,  
 addixerant,  
 l figmenta,

a patriarcha  
 mine venit,  
 ensa est. In-

*lex scripta*  
 abbanitæ o-  
 Talmudem  
 erunt. Vid.  
 em libro de  
 versum:  
 unda.

IM unum,  
 angelos &  
 qve per An-  
 nasci ipsum  
 bus pecca-  
 vibus apud  
 da sit. Mes-  
 sephi, alte-  
 non ut ex-  
 piato-

